

## MONTISFERRATVM DVCATVS.

Regalis non inhonesta civitas Sabaudiae reguli. Iacet in monte, cum natura loci, tum moenibus firmis tuta. Finitimus Apennini tractus plurimi inter oram Genuensem & Aquas castellis nitet. Ab alia parte in confiniis Pedemontii est Cherium, Chieri, olim frequens admodum oppidum, at bellis inter Carolum V & Franciscum primum attritum afflictumque. Nec longe

abest Villa-Nova, Poirino, Rovigliasco & Carmagnola splendidum oppidum, natalibus Francisci Buxoni militum duotoris fortissimi celebratissime illustre. Iuxta sunt Carmania, mox Fosnam, & ad D. Morum, nec procul à Pado, Casale Crassum, Polonciaria, Reconicum, Moretta, Rana, ac ulterius Savilianum.

## Marchionum Montisferrati genealogia.

Guilielmus filius Alerani Saxonis, ac Adolisae, filia Ottonis II Imperatoris, Marchio factus est Montisferrati, genuitque ex uxore

Bonifacium Montisferrati Marchionem, è quo natus est

Guilielmus II Marchio Montisferrati, qui cum Imperatore Conrado III ac Ludovico Iuniori Francorum rege in Syriam est profectus.

Guilielmus III Marchio Montisferrati, Guilielmi II filius, duxit Sybillam filiam Balduini IV Regis Hierosolymitani Christiani, quæ ei filium peperit unicum nomine

Guilielmum IV, regem Hierosolymitanum, ac Montisferrati Marchionem, qui sine liberis obiit.

Reinerus Guilielmi II filius, & Guilielmi IV patruus, Rex Hierosolymitanus, post mortem nepotis Guilielmi IV duxit filiam, hæredemque Emanuelis Imperatoris Constantinopolitani, quæ peperit

Bonifacium III Montisferrati Marchionem, qui è filia Sabauda suscepit

Bonifacium IV Montisferrati Marchionem, qui è Beatrice, filia regis Castellæ, genuit

Ioannem Montisferrati Marchionem, qui liberis non genitis, Marchionatum reliquit Theodorico Palæologo, nato è magna ejus amita Iordana.

Iordana, siquidem filia Guilielmi II, & soror Guilielmi III, Bonifacii II, & Reineri, nupsit Imperatori Constantinopolitano, cuius filius natu minimus Theodoricus Palæologus post mortem Ioannis Marchionis Montisferrati, filii Bonifacii IV, factus est Marchio Montisferratensis, Astamque armis acquisivit. ex hoc natus

Ioannes Palæologus Marchio Montisferrati,

qui vixit anno 1472, & Casali Episcopatum instituit, anno 1474, suscepit hic è filia regis Balearium, quam Majorcam vocant, præter Guilielmum Palæologum, qui sine liberis obiit,

Theodoricum Palæologum Montisferrati Marchionem, qui ex uxore suscepit, præter filiam,

Iacobum Palæologum Marchionem Montisferratensem, factum ab Imperatore Sigismundo Imperii legatum per Italiam. Duxit Iohannam sororem Amati primi Sabaudiae Ducis, unde natus

Iacobus Palæologus Marchio Montisferrati fine prole extinctus, &

Bonifacius V Marchio Montisferrati, qui duxit Mariam filiam Despoti Serviæ, unde natus

Guilielmus V Marchio Montisferrati, qui duxit Annam filiam Reineri Ducis Alensoniorum, quæ peperit

Bonifacium VI Montisferrati Marchionem, lapsu ex equo extinctum.

Bonifacio huic successit patruus Santgeorgius Palæologus. Sed cum paulo post etiam sine liberis decessisset è vivis, successit illi è duabus sororibus natu maxima, quæ nupsit

Frederico Gonzagæ primo Mantuanorum Duci, ac his nuptiis Marchioni Montisferrati, multis licet è Palæologorum familia sese opponentibus. Sed quod constaret Iordanam filiam Guilielmi secundi post mortem Marchionis Iohannis in ditione Montisferratensi cæteris prælatam, judicatum est filias in ejus possessionem deficientibus filiis jure proximitatis admitti. possidentque Mantuanorum Duces in hunc usque annum Marchionatum Montisferratensem, de quo, uti & de Ducatu Mantuæ, proximis annis acriter dimicatum pro Duce Niversi inter Austriacos & Gallorum Regem.